

§. IV. Vita honestas in Clericis requirit debitum officiorum exercitium, & fugam non convenientium negotiorum.

15 Quomodo Clerici sua officia debite integre, devote, ac edificatorie peragere debeant, v. g. celebrare Missas, administrare Sacramenta, recitare horas Canonicas, &c. videri potest in P. Patrio Sporer in sua Theologia Sacramentali. Nos hic eas actiones tantum recensimus, quae Clericali statui disconveniunt, & consequenter a Clericis sunt fugiendae. Itaque

16 I. Clericis sub pena excommunicationis ferendae per Judicem sententiae prohibitum est arma gestare, ex cap. 2. de vita, & honest. cleric. ibi: clericus arma portantes, & Urvarii excommunicentur; adeoque, ut infert Abbas ibidem n. 1. peccant mortaliter, arma prohibita deferendo: quia excommunicatio non debet inferri, nisi pro peccato mortali. Accedit Ratio: Quia officium clericatus Clericos reddit inhabiles ad pugnandum, ex c. multa, 9. de voto. Unde Clericorum arma debent esse orationes. Ex iura tamen causa, v. g. ad se, vel proximum, propriaeque, vel alienas res contra invasorem defendendas, licitum est Clericis arma portare, ut patet ex c. Dilecto. 6. de sent. excom. in 6. ubi additur ratio: quia omnes leges, omniaque Jura, vim vi repellere, cunctisque se defendere permittunt. Hinc consuetudine jam receptum est, ut Clerici iter facientes, arma defensoria secum ferant. Quod si Clericus in Ordinibus Minoribus constitutus, non solum arma deferat, sed etiam militiae operam dederit, tunc is a clericatu excluditur, ex Can. si quis ipso remissionem dist. 50. & cap. aliquando, ac seqq. dist. 51.

17 II. Clerici officia, vel commercia saecularia non exercent, maxime inhonesta. Ita his ipsis verbis statuitur c. clericus officia, 15. de vita, & honest. clericorum. Hinc Clerici non possunt Tabernam Cauponariam publice tenere, can. nulli clericus, dist. 44. & Clement. 1. de vita, & honest. Cleric. Aut Lanionum, seu Macellariorum officium publice, & personaliter exercere, ex clement. citata. Aut tabrum publice agere, pelles, vel conia parare, aut alia hujusmodi vilia, & immunda exercere. Speculator tit. de cleric. conjug. nu. 6. & Abbas c. ult. num. 16. de vita, & honest. cleric. Specialiter vero Clericis prohibitum est, negotiationem exercere, cap. 1. ne clericus, vel Monachi. Quia salvator legitur e templo ejecisse negotiatores, Matth. 21. addita ratione: ne domus orationis fieret spelunca Latronum. Negotiatio vero dicitur, quando res empta, non mutata materia, alteri venditur, & talis negotiatio Clericis est prohibita. Artificium vero est, quando quis emit aliquam materiam, quae postea per artem reducit ad aliam formam: ut si quis emat fila, & faciat retia, aut hujusmodi, can. elicens dist. 88. & tale artificium non est Clericis prohibitum, quin potius commendatum, sicut & Agricultura, dummodo fiat abbeque neglectu officii Ecclesiastici: quia non inducit ad peccatum, sicut negotiatio, quae solet homines inducere ad mendacia, perjuriam, fraudes &c. Hinc etiam Apostoli post Christi Passionem redierunt ad piscandum. Joan. 11. S. Matthaeus vero ad Telonium non amplius rediit: quia illud posterius inducit ad peccatum, non vero prius; prout notavit S. Gregorius Papa, Homil. 24. in Evangelio. Quare Clerici in Sacris constituti, aut beneficium Ecclesiasticum habentes, exercendo negotiationes prohibitas peccant mortaliter ex genere suo, nisi excuset parvitas materiae, aut necessitas, Ita Barbosa l. 1. Juris Ecclesiast. univers. c. 40. n. 114. & 128. Belletus Disquis. clerical. part. 2. §. 51. de Panis clericor. n. 2. Reiffenstuel cit. tit. 1. De vita, & honest. cleric. n. 133. & alii, Idque patet ex c. secundum 6. Ne clericus, vel Monachi, ubi dicitur: sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici, causa lucri negotientur, ac proinde contrafacientes sunt excommunicandi; atqui pena tam gravis non imponitur, nisi ob peccatum mortale: ergo Clerici exercendo negotiationes saeculares peccant mortaliter. Potest tamen Clericus Agros Beneficiorum, aut bonorum suorum Patrimonialium, opera Laicorum colere, item retinere, atque locare boves, oves, aliaeque animalia, quae habet ex successione, vel decimis, nec non fructus illorum vendere; item vendere granum, hordeum, & alios fructus collectos ex bonis Patrimonialibus, vel Ecclesiasticis pro sua, & suorum sustentatione. Ita J. Congregatio Concilii Trident. relata à Barboja cit. n. 127.

18 III. Clericis prohibitum est repraesentare Ludos Theatrales inhonestos, leurriles, aut profanos, iisque interesse: ex cap. cum decorem. 12. De vita, & honest. cleric. Secus est de repraesentationibus piis. Quas exhibere, iisque interesse non prohibentur. Item Clericis prohibitum est, mimis, jocularibus, & histrionibus intendere, ex cap. clericus officia 15. de vita, & honest. cleric. eisdem etiam can. bis igitur, dist. 23.

praecipitur: Ut à mundi voluptatibus sese abstineant, non spectaculis, non pompis intersint, convivia publica fugiant, utris nequaquam incumbant, amorem pecuniae quasi materiam cunctorum criminum fugiant, & saecularia officia, negotiaque abjiciant, viduarum, & virginum frequentationem fugiant; & can. Presbyteri dist. 34. statuit Concilium Agathense: Ut Clerici etiam alienarum nuptiarum evitent convivia, nec his casibus misceantur, ubi amatoria cantantur, aut turpia; aut obsceni motus corporum choreis, & salutationibus efferuntur: ne auditis, aut obtrusis Sacris Mysleriis deputati, turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur. Huculque Concilium.

IV. Clericis universaliter est prohibitum: ne Ministri Laicorum fiant, nec in rebus eorum procuratores existant, ex cap. 2. Ne Clerici, vel Monachi, & cap. sed nec. 4. Ne Clerici, vel Monachi, ibi: sed nec Procuratores villarum, aut Jurisdictiones etiam saeculares sub aliquibus principibus, & saecularibus viris, ut Justitarius eorum fiat, clericorum quisquam exercere praesumat, & cap. Clerici. 15. de vita, & honest. Cleric. ibi: Clerici officia saecularia non exercent. Specialiter prohibetur Clericis officium Tabellionis, seu Notarii publici agere: ex cap. sicut te. 8. Ne Clerici, vel Monachi. Item prohibitum est Clericis, & Religiosis publice, seu in Scholis, vel universitatibus publicis Jus civile, & Physicum, id est, Medicinam audire, ex cap. magnopere 3. c. fin. Ne Clerici, vel Monachi: Ne occasione talis scientiae, spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur. Quod tamen intelligendum, nisi alicui in universitate habeatur contraria consuetudo, vel privilegium speciale Apostolicum, ut Clerici, vel Religiosi Jus Civile publice audire valerent. Privatim tamen, & domi regulare Juris Civili, aut Medicinæ, non est Clericis, aut Regularibus prohibitum; ut habet communior DD. apud Reiffenstuel cit. in 3. Decret. tit. 50. n. 9. Rursus specialiter prohibetur Clericis, ne Judicium sanguinis dicent, proferant, vel executioni sententiae intersint, ut patet ex cap. Clericis. 5. & cap. sententiam 9. Ne Clerici, vel Monachi. Hinc Episcopus, seu quicumque alius Praelatus, vel Clericus Jurisdictionem obtinens temporalem; si homicidio, aut alio maleficio ab aliquibus in Jurisdictione sua commissio Ballavio suo (seu Judici) aut alii cuiusque injungat, ut super hoc veritatem inquirens, Justitiam debitam exequatur, irregularis censeri non debet (nec male agere) quamvis ipse Ballavio (seu Index) vel alius contra malefactores ad panam sanguinis processerit, Justitia mediante. Nam licet Clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen (cum Jurisdictionem obtinent temporalem) debent, & possunt metu irregularitatis cessante, aliis delegare, ut in terminis statuitur cap. 3. Ne Clerici, vel Monachi in 6. Denique qualiter Clericis, & Monachis prohibitum sit assistere ultimis reorum supplicii, vide apud P. Patrium Sporer tr. 5. in 5. Praeceptum Decalogi, cap. 2. Subsectione, num. 72. Item qualiter Clericis, & Monachis interdictum sit exercitium artis medicae, vel chirurgicae, vide apud eundem P. Sporer cit. c. 3. sect. 5. nu. 169. & seqq. Item qualiter Clericis prohibita sit venatio, habet idem P. Sporer tract. 6. in Decal. cap. 1. sect. 4. num. 156.

QUAESTIO II.

De Residentia Clericorum Beneficiarium.

SUMMARIUM.

- 21 Quid sit Residentia Clericorum?
22 Omnia Beneficia Jure communi postulant residentiam.
23 Beneficiati curam animarum habentes tenentur ad residentiam Jure Divino, & naturali;
24 Reliqui Jure dumtaxat Ecclesiastico.
25 Episcopi debent residere in loco suarum Ecclesiarum Cathedralium,
26 Et tenentur ibi sua munia peragere.
27 Enumerantur munera Episcopis, aliisque Curatis Jure Divino incumbentia.
28 Quamdiu, & ex quibus causis liceat Episcopis abesse à suis Ecclesiis?
29 Quid statuerit Concilium Tridentinum circa Residentiam Parochorum?
30 Parochi ex legitima causa, & accedente licentia Ordinarii possunt per duos menses abesse à suis Parochiis.
31 Et sine licentia Ordinarii per unum, vel alterum diem.
32 Cause excusantes Parochos à Residentia.
33 Parochi per seipsos debent peragere sua munia.
34 Canonici tenentur residere in suis Ecclesiis;
35 Et in eisdem sua consuecta officia personaliter peragere,

36 Pœne non residentium Canonicoꝝ.
37 Cause excusantes Canonicos à residentia.

ASSERTIO II.

20 Residentia Clericorum est commoratio ferme continua in loco beneficii, causa officii, seu servitii Ecclesiastici personaliter praestandi: Ad hanc tenentur Episcopi in suis Ecclesiis Cathedralibus; Parochi, seu curati in suis Parochiis, & canonici in suis Ecclesiis: exceptis quibusdam dumtaxat casibus. Communissima.

§. I. Residentia Clericorum est commoratio ferme continua in loco Beneficii &c.

21 I. Explicatur. Dicitur 1. Residentia Clericorum est commoratio ferme continua in loco Beneficii. Nam, qui aliquantisper tantum absumt; ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt: prout loquitur Concilium Tridentinum sess. 23. de Reform. cap. 1. Dicitur 2. causa officii, seu servitii Ecclesiastici: Quia onus Residentiae Clericis Beneficiatis incumbens, est intelligendum cum effectu ex c. relatum 4. de clericis non residentibus. Hinc, si Clericis personaliter quidem existat in loco Beneficii, sed officium suum nunquam praestet, non censetur residere Pirrhing tit. de clericis non residentibus, num. 1. Dicitur 3. Personaliter praestandi. Siquidem nullus ad Beneficium Ecclesiasticum assumendus est, nisi, qui residere in loco, & curam ejusdem per seipsum valeat exercere juxta cap. 3. de clericis non residentibus. Quia enim Beneficium datur propter officium cap. ult. de re scriptis in 6. Hinc residentia accipienda est in eum sensum, ut sit laboriosa, non otiosa. Nec hic locum habet Regula 68. in 6. potest quis per alium, quod potest facere per seipsum. Quia hæc Regula patitur exceptionem, quoties electa est industria, & fides Personae, cui quidpiam committitur ex c. ult. de officio Judicis delegati. Sic autem in Beneficiis Ecclesiasticis censetur electa industria, fideique personae, cui aliquod ipsorum confertur ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 1. de reformat. Ubi nonnisi digniores, & Ecclesiae magis utiles judicati, ad Beneficia Curata promovendi jubentur. Unde consequens est, quod non possit quis per alium residere in beneficio. Sicut etiam nequit Clericus recitare Breviarium per alium.

22 II. Omnia Beneficia, etiam simplicia, spectato jure communi, postulant Residentiam. Ita Abbas, Fagnanus, & communis apud Reiffenstuel in 3. Decret. tit. de clericis non residentibus, num. 8. idque patet ex cap. ex parte 8. de clericis non residentibus, & de beneficiis simplicibus idipsum patet ex can. Eleutherius, & Can. clericus, dist. 91. Dictum tamen fuit, spectato Jure communi. Nam ex Generali consuetudine totius Ecclesiae, Beneficia simplicia residentiam personalem non requirunt: adeoque potest quis per substitutum eisdem deservire, nisi fundator discretis verbis oppositum expresserit. Ita communis apud Reiffenstuel cit. n. 9. Ratio est: quia Sacra Congregatio apud Zerolam part. 1. Praxis Episcopalis. V. Beneficium, ita declaravit, hinc verbis. Obtinens Beneficium, quod sit simplex, & sine cura animarum, & extra Ecclesiam collegiatam, nec personalem residentiam ob aliam causam (puta nisi fundator discretis verbis requisiverit eandem) requirens, non tenentur in eo residere sed ad inserviendum illi per alium, qui probatus sit ab Ordinario.

23 III. Episcopi, aliique Beneficiati curam animarum habentes tenentur ad Residentiam personalem non solum de Jure Canonico, sed etiam Jure Divino, & naturali. Ita Navarrus cap. 25. Manual. num. 121. Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. Allegat. §. 3. num. 2. Lessius lib. 2. de Just. & Jure cap. 24. dubit. 29. num. 153. Garzias, Fagnanus, Pirrhing, Sannig, Reiffenstuel, & communissima Theologorum. Ratio est: quia Concilium Tridentinum sess. 23. c. 1. de reform. dicit: cum precepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique Divini predicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium Personarum curam paternam gerere &c. Et quamvis defacto Episcopi, five ob negotiorum multitudinem, five ob alia legitima impedimenta. Verbi Divini Predicationem, Sacramentorumque administrationem (excepto Sacramento confirmationis, & Ordinis) personaliter exercere rarius soleant, atque ad istud teste longæva consuetudine regulariter non teneantur: nihilominus eisdem incumbit, personaliter esse sollicitos, & vigiles, ut per deputatos Vicarios qualificatos idipsum debite praestetur; ita tamen, ut ipsimet Episcopi non intermittant personaliter pro ovibus suis Sacrificium offerre, easque bono exemplo instruere, & specialem pauperum, ac miserabilium personarum curam habere, juxta praescriptum Concilii Trid. cit.

IV. His non obstantibus, possunt Episcopi nihilominus per singulos annos duobus, aut ad summum tribus mensibus conjunctim, vel interpolatim à suis Ecclesiis abesse: dummodo id fiat absque ullo gregis detrimento, simulque ipsi non absint tempore Adventus, Quadragesimæ, aut in festis solemnioribus, nisi Episcopalia munia in sua Diocesi eos alio vocent. Ita habet expressè Conc. Trid. cit. Similiter præter modicitatem temporis absentiae juxta mox dicta absque detrimento gregis Dominici peragendæ, quatuor generatim adhuc sunt causæ, ob quas Episcopi corporaliter possunt abesse ab Ecclesiis suis, videlicet Christiana charitas, urgentis necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiae, vel Reipublicae utilitas: dummodo interea meminerint discursuri, ita ovibus suis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. Ita expressè Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 1. de reform. subjungens: Si quis autem (quod utinam nunquam eveniat) contra hujus decreti dispositionem abfuerit, statuit sacrosancta Synodus, præter

3. Ador. cap. 20. ergo etiam Jure naturali, & Divino pastor animarum tenetur ad Residentiam Personalem, utpote sine qua juxta allegatum Concilium Tridentinum munia pastoralia nequaquam adimpleri, & praestari possunt. Eadem enim obligatio, qua quis tenetur ad finem, tenetur etiam ad medium, sine quo finis obtineri non potest.

IV. Beneficia non Curata, Jure dumtaxat Ecclesiastico, atque ex primæva fundatorum intentione per Sacros Canones approbata, exigunt residentiam. Ita Communis apud Reiffenstuel cit. num. 14. Ratio est: quia Beneficia curam animarum non habentia, solummodo per Ecclesiam propter cultum Divinum sunt instituta, neque in illis urget ratio proximè allata, cum careant officio pastoralis, curaque animarum: ergo nonnisi Jure Ecclesiastico exigunt residentiam.

§. II. Episcopi tenentur ad Residentiam in Ecclesiis suis Cathedralibus.

Residentia Episcoporum facienda est in loco, ubi est ipsorum Ecclesia Cathedralis. Ita desumitur ex 25 can. Placuit, ut nemini 7. quæst. 1. docetque Barbosa cit. nu. 3. Fagnanus c. qualiter num. 27. & 34. tit. de clericis non residentibus, &c. canonum statuta, n. 101. de consuet. asserens, quod Sacra Congregatio Concilii declaravit, Episcopos teneri apud suam Ecclesiam Cathedralis residere: nec satis esse, ut in Diocesi resideant: haud obstant, quod Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 1. vers. eosdem interim admonet de Reformat. utatur verbo illo, Admonet; quia obligatio residendi juxta Cathedralis Ecclesiam surgit ex dispositione antiquorum Canonum, quos Concilium non sustulit, sed solum moderabatur. Idipsum probatur à simili quia pariter Abbas in suo Monasterio, Parochus in loco Ecclesiae Parochialis, alique Beneficiati in loco Beneficii ad sua munera ritè obeunda residere tenentur.

II. Episcopi, aliique Beneficiarii precepto residentiae non satisfaciunt ex eo, quod corporaliter praesentes sint in loco Beneficii, nisi etiam munera ratione officii sibi incumbentia peragant. Ita certa, & communis teste Reiffenstuel cit. n. 40. eamque tradit Barbosa cit. n. 20. Garzias, & alii apud cit. Reiffenstuel. Ratio est clara: quia verbum residere, significat Ecclesiae deservire; debet enim accipi cum effectu c. Relatum 4. de clericis non residentibus. Per hoc tamen non negatur, quin Episcopus possit constituitur Vicarium Generalem: nam propter multitudinem negotiorum Episcopus; etsi diligentissimus sit, plerumque non sufficit ad omnia negotia se solo expedienda; simulque decet, ut sua onera partiatur cum aliis.

III. Munera, quæ Episcopis, aliisque curam animarum habentibus ex precepto Divino incumbunt, atque ab ipsis vi debite Residentiae praestari debent, potissimum enumerantur à Concilio Tridentino sess. 23. c. 1. de reformat. de quentibus verbis: Videlicet, oves suas agnoscere: pro his sacrificium offerre, verbique Divini Predicatione, Sacramentorum administratione, ac Bonorum omnium operum exemplo pascere: pauperum, aliarumque miserabilium Personarum curam paternam gerere &c. Et quamvis defacto Episcopi, five ob negotiorum multitudinem, five ob alia legitima impedimenta. Verbi Divini Predicationem, Sacramentorumque administrationem (excepto Sacramento confirmationis, & Ordinis) personaliter exercere rarius soleant, atque ad istud teste longæva consuetudine regulariter non teneantur: nihilominus eisdem incumbit, personaliter esse sollicitos, & vigiles, ut per deputatos Vicarios qualificatos idipsum debite praestetur; ita tamen, ut ipsimet Episcopi non intermittant personaliter pro ovibus suis Sacrificium offerre, easque bono exemplo instruere, & specialem pauperum, ac miserabilium personarum curam habere, juxta praescriptum Concilii Trid. cit.

IV. His non obstantibus, possunt Episcopi nihilominus per singulos annos duobus, aut ad summum tribus mensibus conjunctim, vel interpolatim à suis Ecclesiis abesse: dummodo id fiat absque ullo gregis detrimento, simulque ipsi non absint tempore Adventus, Quadragesimæ, aut in festis solemnioribus, nisi Episcopalia munia in sua Diocesi eos alio vocent. Ita habet expressè Conc. Trid. cit. Similiter præter modicitatem temporis absentiae juxta mox dicta absque detrimento gregis Dominici peragendæ, quatuor generatim adhuc sunt causæ, ob quas Episcopi corporaliter possunt abesse ab Ecclesiis suis, videlicet Christiana charitas, urgentis necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiae, vel Reipublicae utilitas: dummodo interea meminerint discursuri, ita ovibus suis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. Ita expressè Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 1. de reform. subjungens: Si quis autem (quod utinam nunquam eveniat) contra hujus decreti dispositionem abfuerit, statuit sacrosancta Synodus, præter

Præter alias pœnas, adversus non residentes, suo Paulo III. impositas, & innovatas, ac mortali peccati reatum, quem incurrit, cum pro rata temporis absentie fructus suos non faceret, nec iura conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse, sed teneri, aut ipso cessante, per Superiorem Ecclesiasticum, illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare, prohibita quacunque conventionne, vel compositione, que pro male perceptis appellatur, ex qua etiam predicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur, non obstantibus quibuscunque Privilegiis cuiuscunque loco, aut fabricæ concessis. Hæc Concilium loc. cit.

S. III. Parochi tenentur ad residentiam in loco suarum Ecclesiarum Parochialium.

29 I. Circa Residentiam Parochorum, aliorumque Curatorum inferiorum, & non residentium pœnas, statuit Concilium Tridentinum sess. 23, cap. 1. §. eadem omnino que de residentia Episcoporum ibidem præmisit etiam quoad curam, omissionem fructuum, & pœnas, de Curatis inferioribus, & aliis quibuscunque, qui Beneficium aliquod Ecclesiasticum curam animarum habens, obtinent, Sacrosancta Synodus declarat, & decernit. Ita tamen, ut quando-cunque eos, causa prius per Episcopum cognita, & probata abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquunt. Descendendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant. Quod si per editum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis, per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fructuum aliaque Juris remedia, etiam usque ad privationem compellere, nec executionem hanc, quolibet Privilegio, licentia, &c. suspendi posse. Hæc Conc. cit. Ex quibus.

30 II. Sequitur, Parochos, vel alios Curatos inferiores, v. g. Vicarios, aut coadjutores perpetuos, non posse abesse à suis Parochiis, seu Beneficiis curatis per duos menses, nisi ex legitima causa, per ordinarium loci approbata, & accedente hujus licentia in scriptis obtenta, alioquin peccant mortaliter, simulque fructus pro rata temporis absentie non faciunt suos. Ita docent etiam Barbosa part. 2. de offic. & Potest. Episc. allegat. 53. numer. 93. & seqq. Garzias part. 3. de Benef. cap. 2. numer. 19. & 23. Fagnanus, Pia-ficius, Lessius, Reiffenstuel, & Alii contra Navarrum c. 25. Manual. n. 121. Vers. Et quomodo: ubi arbitrat, etiam post Concilium Tridentinum, posse Parochum abesse duos menses absque licentia scripta, cum causa, quæ videtur ei iusta, cuius sententiam probabilem, censet Azorius part. 2. lib. 7. c. 4. q. 10. & Castro-Palao tr. 13. de Beneficiis, disp. 5. punct. 5. numer. 3. cum nonnullis, quos citat. Ratio nostræ sententiæ est, tum Concilium Tridentinum num. præced. citatum: tum Declaratio Sacræ Congregationis Concilii Trid. quam refert Garzias part. 3. de Beneficiis c. 2. num. 23. & part. 9. de Beneficiis c. 2. num. 295. Declarantis, Parochos non posse abesse duos menses absque Ordinarii licentia. Si tamen occurrat causa gravis, & necessaria subito descendendi, quæ tantam celeritatem requirit, ut non patiarum dilationem, sed sit periculum in mora petendi licentiam, tunc Curatus, relicto idoneo Vicario, poterit descendere sine præhabita licentia Ordinarii. Quia necessitas non habet Legem, c. 4. de Reg. Jur. Ita tamen ut hujusmodi Curatus, quamprimum fieri poterit, teneatur certiorare Ordinarium de discessu, atque necessitate occurrente, ut is de causa cognoscat, detque licentiam, nisi in brevi sit reversurus. Ita Abbas c. relatum n. 6. Fagnanus, Garzias, Reiffenstuel cit. num. 75. & Alii.

31 III. Præmissis non obstantibus potest Parochus ex causa, quæ sibi legitima videtur, per unum, vel alterum diem; imò, & per sex, aut septem dies abesse sine alia licentia Ordinarii: dummodò interim idoneum Vicarium ab Ordinario approbatum relinquat, neque obstat specialis constitutio Episcopi. De uno, vel altero die, videtur esse certum ex univiersali consuetudine. De sex, vel septem diebus, docent Barbosa part. 3. de Officio, & Potest. Episc. Alleg. 53. numer. 106. Castro-Palao, Reiffenstuel cit. numer. 79. Ratio est: quia ex tam modica absentia Parochi constituentis interim Vicarium idoneum, non censetur morale aliquod concreditarum Oviu, seu Patochianorum oriri periculum.

32 IV. Causæ excusantes Parochum ad tempus à Residentia Personali cum licentia Ordinarii, sunt illæ quatuor, quas Concilium Tridentinum sess. 23, cap. 2. de Reform. enumerat: videlicet, christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublice utilitas. An autem propter pestem grassantem, vel hostilem insursum excusetur Parochus à Residentia personali? Decla-

ravit S. Congregatio Concilii Tridentini ad dubia, instante S. Carolo Borromeo, Archi-Episcopo Mediolanensi, & S. R. E. Cardinali proposita, 1576. die 11. Octobris. Respondens, quòd Parochi tempore pestis teneantur in Parochialibus residere. Quòd ipsum ob paritatem rationis intelligendum est de tempore Belli, seu hostilis incursus, ne tempore tam periculoso destituantur oves spiritali auxilio Pastoris sui; contra illud saluatoris Joannis cap. 10. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Notandum tamen est Parochis, atque constitutis ipsorum Vicariis, ut tempore pestis in administrandis Sacramentis cautè se gerant, ne ex ipsorum præmatura morte plures alii spiritaliter damnari patiantur.

Hoc etiam hic advertendum est, quòd parochi non satisfaciunt residentie præcepto, suæque conscientie, qui licet in parochia personaliter existant, nunquam tamen, aut fermè numquam, cessante iusto impedimento, Sacramentorum administrationem; aliave munera Pastoralia per se ipsos exercent, sed ista omnia relinquunt Cappellanis, & cooperantibus suis. Ita Barbosa part. 1. de Offic. Parochi, c. 8. n. 41. allegans Possiveinum, de offic. Curati, c. 1. num. 10. pluresque alios. Engel cit. de clericis non residentibus, num. 15. Garzias part. 3. de Beneficiis, c. 2. num. 53. Reiffenstuel cit. num. 85. Ratio est, quia residere, est Ecclesiæ deferre per se ipsum ex c. 3. & 4. de clericis non residentibus: atqui istud non præstat Parochus, omnia munera parochialia exercens dumtaxat per suos Cappellanos, & cooperatores: ergo cessante alio legitimo impedimento, peccat, nec satisfacit præcepto residentie; quamvis non videatur obligatus ad restitutionem fructuum, neque incidat in alias pœnas non residentium, juxta Garzias part. 3. de Beneficiis c. 2. num. 53. & Reiffenstuel cit. n. 87. Ratio est: quia in tali casu adhuc obtinetur finis præcepti, videlicet cura animarum, rectaque gubernatio parochianorum: etsi non eo modo, quo deberet.

S. VI. Canonici tenentur ad Residentiam in suis Ecclesiis.

I. Canonici Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiarum tenentur residere in suis Ecclesiis, ad eò, 34 ut non liceat ipsis ultra tres menses, ab eisdem quolibet anno abesse: salvo tamen earum Ecclesiarum constitutionibus; quæ longius servitii tempus requirunt: sicque absentiam trium mensium non concedunt. Sic enim statuit Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 12. de reform. sequentibus verbis: Præterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus, aut collegiatis, dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore consuetudinis, aut consuetudinibus, ultra tres menses, ab eisdem Ecclesiis, quolibet anno abesse; salvo nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus; quæ longius servitii tempus requirunt. Hæc ibi.

II. Quantum est de rigore Juris communis (præscindendo à contraria alicubi consuetudine.) Canonici cæteri proxime enumerati non satisfaciunt suæ obligationi, exhibendæ dumtaxat præsentiam suam in Choro, nisi etiam cantent, cæteraque consueta officia juxta ordinatam alternationem personaliter peragant. Sic enim statuit Concilium Trid. sess. 24. cap. 12. de reform. his verbis: Omnes vero Divina per se, & non per substitutum, compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere, & inservire, atque in Choro ad psallendum instructo, hymnis, & canticis DEI Nomen, reverenter, distinguè, devotèque laudare. Hæc Concilium cit.

III. Pœnæ obtinentium in Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis, Dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, nec residentiam, ut debent, enumerantur à Concilio Trideatino sess. 24. cap. 12. de reform. Sequenti- bus verbis: Alioquin primo anno privetur unusquisque (non residens, ut supra) dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentie fecit suos. Quòd si iterum eadem usus fuerit negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente verò contumacia, contra eos, juxta Sacrorum canonum constitutiones procedatur. Hæc ibi. Ex quibus verbis inferitur, quòd Canonicus illicitè abfens, qui ob absentiam in penam privationis fructuum incidit, non teneatur istos ante sententiam condemnatoriam iudicis restituere, ut patet ex Verbo, privetur, quod non operatur ipso Jure, sed per sententiam. Ita Garzias part. 3. de Benef. c. 2. n. 151. & 152. Barbosa c. 20. de canonicis, n. 22. citans alios: Quamvis secus dicendum sit de Episcopis, & curatis inferioribus: hi enim, si debite non resident, ipso Jure teneantur restituere fructus pro rata temporis absentie, utpotè quos non fecerunt suos: ad eò, ut nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere possint: prout expressis verbis decrevit Concilium Tri-

Tridentinum sess. 23. cap. 12. de reform. estque jam dictum supra num. 28.

IV. Inter causas legitime excusantes à Residentia personali Beneficiorum, etiam Curatorum, communiter Doctores connumerant absentiam Studiorum causa juxta cap. relatum. 4. de Clericis non residentibus; quæ causa solet reduci ad quartam ex enumeratis à Concilio Tridentino sess. 23. cap. 1. de reform. quæ est evidens Ecclesiæ, vel Reipublice utilitas. Siquidem totius Ecclesiæ univiersalis maxime interest, ad sui regimen viros habere litteratos, cap. cum ex eo 34. de Elect. in 6. Qui cum docti fuerint, in Dei Ecclesia velut splendor fulgeant firmamenti, ac veluti stellæ in perpetuas æternitates mansuri, ad Justitiam valeant plurimos erudire, cap. ult. de Magistris. Juvat hic adducere verba Bonifacii VIII. Relati cap. cum ex eo 34. de Electionibus in 6. Ita dicentis: Presenti constitutione sancimus, ut Episcopi, eorumque Superiores cum his, qui hujusmodi subjectus sibi Ecclesias obtinent, vel obtinuerint in futurum dispensare possint liberè, ut usque ad septennium litterarum studio insistentes promoveri minime teneantur, nisi ad Ordinem subdiaconatus dumtaxat ad quem infra prædictum annum recipiendum (ne, sicut à multis de Christi Patrimonio sublimitatis olim factum esse dignoscitur, à statu recedere valeant Clericali) omnino obstringi volumus: & nisi receperint; pœna contenta in dicto Concilio (privationis ipso Jure) eo ipso percelli. Hæc Pontifex subjuncta obligatione constituendi ad interim idoneum Vicarium, ex præventibus Ecclesiarum Parochialium congruè sustentandum. De facto tamen privilegium percipiendi fructus Beneficiorum in absentia ratione studii, est sublatum, quoad Ecclesias Parochiales; ad eò, ut cum obtinentibus eas non amplius possint ad septennium Episcopi dispensare: secus dicendum de Canonicatibus, atque Beneficiis sine cura animarum residentium exigentibus. Ita Garzias part. 3. de Beneficiis, c. 2. nu. 81. & seqq. allegans multiplicem Declarationem Sacræ Congregationis Concilii. Barbosa cap. Relatum, nu. 7. de Clericis non residentibus Pirrhing, Gonzales, & alii, apud Reiffenstuel cit. n. 144. quem vide. Ubi etiam n. 149. docet, Episcopum posse uti opera, seu servitio duorum Canonicorum, qui abfentes cum Episcopo, seu in ejus servitio, integrè percipiunt fructus præbendarum in absentia exceptis distributionibus quotidianis, juxta communem DD. atque habetur clarè decimè c. de cætero. 7. de clericis non residentibus.

QUÆSTIO III.

De Beneficiis Ecclesiasticis, & Jure Patronatus.

SUMMARIUM.

- 39 Explicatur definitio beneficii Ecclesiastici.
40 Beneficium Ecclesiasticum dividitur in regulare, & seculare.
41 Item in Curatum, & non Curatum, in duplex, & simplex.
42 Item in Electivum, Patronatum, & Collativum: in manuale, & non manuale: in Canoniam, Vicariam, comendam, præstimonium, & pensionem.
43 Papa habet Potestatem conferendi omnia Beneficia totius Mundi: Episcopus sue Dioceseos, per se loquendo.
44 Ad legitimam collationem beneficii plura requiruntur.
45 Unus nequit habere plura beneficia Ecclesiastica.
46 Exceptis aliquibus casibus.
47 In eligendis ad Prælaturas, & beneficia Ecclesiastica requiritur ætatis maturitas.
48 Et morum gravitas, que consistit in multis.
49 Et litterarum scientia.
50 Item, ut sint Digniores.
51 Item in electione Superiorum regularium?
52 Quid sit Jus Patronatus?
53 An Patronus sub peccato mortali obligetur præsentare Digniores?
54 Patronus habet Jus Honoris, & Alimentionis.
55 Item obligationem tuendi, & defendendi Ecclesiam.
56 Quæstio incidentalis de Officiis secularibus.

ASSERTIO III.

Beneficium Ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi fructus ex Bonis Ecclesiasticis, propter aliquod officium spirituale, personæ Ecclesiasticæ, auctoritate Ecclesiæ constitutum. Multiplex est divisio beneficii Ecclesiastici: Non licet simul retinere plura beneficia Ecclesiastica exceptis aliquibus casibus, in eligendis ad Prælaturas, & beneficia Ec-

clesiastica requiritur ætatis maturitas, morum gravitas, & litterarum scientia: imò sub peccato mortali ad beneficia Curata, etiam Parochialia, & Prælaturas Ecclesiasticas promovendi sunt Digniores, quos etiam Patroni sub eadem obligatione præsentare tenentur. Est communis apud Autores citandos.

S. I. Beneficium Ecclesiasticum est Jus perpetuum, &c. & multipliciter dividitur.

I. Beneficium Ecclesiasticum dicitur in primis Jus, vi-39 delicet spirituale, propter dependentiam à Spirituali, quia nimirum præsupponit Clericatum, & datur propter officium, seu Ministerium Sacrum. Additur, perpetuum: quia Doctores passim, apud Reiffenstuel in 3. lib. Decret. tit. 5. de Præbendis, & Dignitatibus n. 8. tradunt de essentia Beneficii Ecclesiastici esse, quòd sit perpetuum; tum quia Beneficium per hoc essentialiter differt à Pensione; nam Pensio non confertur in perpetuum: tum quia hoc desinitur ex can. Sanctorum, dist. 70. ibi: in qua Ecclesia quilibet intulatus est, in ea perpetuo perseveret, hoc est, per totam vitam. Dicitur 2. percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter aliquod officium spirituale: quia ut docet Barbosa lib. 3. Jur. Ecclesiast. univ. c. 4. n. 9. & 10. tria in Beneficio Ecclesiastico distinguuntur. Primum est, Officium aliquod spirituale: puta obligatio recitandi horas canonicas in Choro, vel saltem extra illum: item obligatio deferendi in officiis spiritualibus cuiusdam Ecclesiæ, celebrandi Missas, aut hujusmodi. Et istud est omninò spirituale: non tamen est Beneficium, sed fundamentum, & causa ipsius, hoc est, Juris percipiendi fructus ex Bonis Ecclesiasticis: nam propter officium datur beneficium Ecclesiasticum, ubi habetur c. ult. de rescriptis in 6. Alterum est, jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis. Et istud jus propriè dicitur Beneficium: estque spirituale, quia oritur ex spirituali officio, ipsique conceditur. Tertium sunt ipsi fructus percipiendi ex bonis Ecclesiasticis, id est, ex bonis Deo dicatis, & Ecclesiæ donatis, Et hi sunt quid sit temporale, ac proinde licitè venduntur absque Simonia, ut patet in fructibus Decimarum. Dicitur 3. Personæ Ecclesiasticæ, id est, saltem prima consuetudinitate. Nam aliàs quilibet, & ad quodlibet Beneficium, inhabilis existit: ad eò quidem ut non sufficiat post illud iam acquisitum consulari, ut patet ex c. litteris 6. de Transactione. Dicitur tandem in Definitione beneficii: Auctoritate Ecclesiæ constitutum. Siquidem Beneficia Ecclesiastica non nisi interveniente legitima auctoritate Ecclesiæ (hoc est: approbatione Episcopi, vel alterius Prælati ad hoc potestatem habentis) constitui, seu erigi possunt. Ita Barbosa cit. n. 16. & seqq. Rebuffus, Pirrhus, Corradus, Gonzalez, & alii apud Reiffenstuel cit. n. 14.

Beneficium Ecclesiasticum est multiplex, varièque di-40 viditur: Et primò quidem ratione diversi status hominum, quibus conferenda sunt, beneficium dividitur in regulare, quod solis Regularibus competit: & seculare, quod secularibus Clericis debitum est. Ubi sciendum, quòd omnia beneficia censentur secularia, nisi contrarium probetur, & quòd secularia beneficia secularibus, & Regularia Regularibus sint conferenda. Ita plures DD. apud Reiffenstuel cit. num. 23. & seqq.

III. Beneficium ratione annexæ Curæ animarum, adm-41 nistrationis, aliorumve jurium, dividitur in Curatum, & non Curatum. Item in duplex, & simplex: ex quibus beneficia duplicia subdividuntur in Dignitates, Personatus, & Officia. Beneficium Curatum est, quòd habet annexam curam animarum: Non Curatum est, cui, nulla animarum cura est annexa. Porro beneficia Curata sunt duplicis generis. Nam quædam habent Curam animarum in foro externo, seu contentioso, quatenus habent jurisdictionem spirituales visitandi, corrigendi, excommunicandi, & alia hujusmodi præstandi. Alia verò beneficia habent curam animarum in foro interno, seu anime, quatenus habent potestatem ligandi, & solvendi in foro pœnitentiali, simulque subditis suis administrandi, Ecclesiastica Sacramenta in foro interno, & externo. Et talis censetur strictè, & propriè beneficium Curata, qualia habent Parochi. Beneficium duplex est, quòd vel curam animarum habet annexam, vel quandam jurisdictionem, Præcedentiam, vel administrationem adjunctam continet: uti sunt Dignitates, Personatus, & officia. Dignitas est præcedentia cum jurisdictione: Personatus est præcedentia sine jurisdictione. Officium denique est administratio rerum Ecclesiasticarum sine alia præcedentia speciali, vel jurisdictione. Beneficium simplex est, quòd neque curam animarum, neque Dignitatem, neque personatum, neque officium adjunctum habet, sed tantum est institutum ad preces Deo persolvendas, aliaque Divina officia.